pro remissione peccatorum per penitentiam obtinere. penitentie autem uirtus maxime in contricione consistit. Contricio autem significata est in primo exhibita marie obsequio quo pedes domini rigauit. O mira uirtus peccatum est. ad quos prostrata peccatrix tantis lacrimis habundauit. Sed quid mirum si ignis glaciem soluit et fluere facit. pedes enim domini igniti sunt. Apo. i. Oculi eius tamquam flamma ignis. et pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti. Ecce tam oculi christi quam pedes christi sunt igniti per effectum. et ideo congelata peccatorum corda per ipsos liquescunt ad lacrimas. liquescunt igitur pedum eius attactu. ut patet in magdalena. liquescunt et oculorum eius respectu ut patet in petro quem dominus respexit. et egressus foras fleuit amare. sicut dicitur. luc. xxii. O si nos christus istis pedibus tangeret. o si nos istis oculis respiceret. quomodo fleremus. flet puer cum percutitur. fleamus nos ne percutiamur. G. Nunquam enim ad penitentie lamenta reuertat. dum flere ante percussionem uacat. ¶ Secundo notandum quod peccata remittuntur per piam elemosinarum largicionem. ps. Remitte michi ut refrigerer priusquam abeam. Refrigeratio anime sunt elemosine. quibus ab estu peccatorum refrigeratur. Eccli. iii. Ignem ardentem extinguit aqua et elemosina resistit peccato. Et ambrosius ait. Magna est elemosina que ardentium criminum globos beniuolentie sue fonte refrigerat. Hoc refrigerium ante mortem querendum est. unde bene ait ut refrigerer priusquam abeam. i. priusquam moriar. Postquam enim abierat ab hac uita diues ille qui elemosinam lazaro negauit. refrigerari

quidem petiit. sed non obtinuit. Luc. xvi. Mitte lazarum ut intinguat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam. Ecce ista temporalium largicio significata est in secundo marie obsequio. quo pedes domini capillis suis tersit. Capilli enim superfluitatem significant temporalium. Isti sunt capilli absalon cuius caput pulcre capillatum quercui adhesit. et mulo cui insedit recedente suspensus interiit. Sic multorum anime temporalibus capillate suffocantur laqueo auaricie constricte. hoc bene scient cum mulus corporis cui nunc insident recesserit abiciens in morte. Crinibus ergo pedes christi tergit. quicumque temporalia pauperibus propter christum impendit. ¶ Tertio notandum quod peccata remittuntur per sinceram dilectionem. unde hic dicitur. Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum. Ille multum diligit rem quam caram perditam multum querit diligenter. et inuentam multum tenet fortiter. sicut maria christum. unde ipsa potuit dicere istud. Cant. iii. Inueni quem diligit anima mea. tenui illum nec dimittam. B. Occultat se deus ut ardentius queratur. inuentus cum sollicitudine teneatur. tentus non dimittatur. Ecce ista dilectio significata est in tercio marie obsequio. quo pedes domini osculata est. osculum enim signum amoris est. Osculatur ergo christum suauiter qui diligit cum dulcedine. Osculare karissime christum ut maria. non ut iudas qui ore amicum se ostendit. sed corde inimicus fuit. Sed heu multi hodie osculantur christum ore benedicendo. sed opere male uiuendo. Item ore corpus christi sumendo. sed corde christum abiciendo. Item ore orando. sed maligna facta non relinquendo. Tales cum iuda domino appropinquant ore sed longe sunt corde. Ier. xii. Prope es tu ori eorum et longe a renibus eorum. Et ys. xxix. Populus hic labiis me honorat cor autem eorum longe est a me. ¶ Quarto